

norum possessores fieri vellent, prius conferant bona sua, quæ aliàs, si in potestate mansissent parenti acquisita essent, & per consequens omnibus liberis simul mortuo parente: unde sublato Jure patriæ potestatis potissima sui parte, & quod exinde sequitur Emancipatione veteri abolita, videri forsan alicui posset, hodiè collationis hanc doctrinam nulli futuram usui; Attamen dum quis alius hanc rem cogitare incipiet, secus, scio, judicabit; Et hodiè enim collationis satis manifesta vestigia occurrere possunt.

L.

Nolumus autem, certis de causis, huic materiæ hoc loci plusculum immorari, sufficiat obiter saltem ac incidenter, heic ejus meminisse. Qui volet videat de hac re in ff. C. sub rubr. de collat. & præsertim consideret l. 3. in ff. d. t. ubi perpulcre Bartol. ad l. 1. ejusd. tit. §. nec Castrense 15. commentatus est, de rebus à collatione exemptis, nempe de Castrensibus, & quasi Castrensibus, ac ibidem monet de sumptibus in dignitatem filii, forsan Doctoralem, factis; Itemq; de libris in eum finem coemptis, conferendi illi sint nec ne. De quâ eadem materia & Accursius in l. filia 18. C. famil. erciscund. egit; quò etiam pertinet l. quæ pater 50. ff. famil. ercisc. Plura invenies apud Baldum ad d. l. filia 18. nu. 10. Nic. de Ubald. in succ. descend. n. 28. & 33. Videatur & Fr. Duaren. ad t. ff. de collat. Et Vitalis Nemausensis de collat. qui Materiam collat. in XXXIIX. quæstionibus pertractat.

LI.

Tertium ordinem faciemus LEGITIMATORUM, ^{De success.} ^{legitimat-} ^{rum.} ^{richer Kinder} quales sunt, qui quidem ab initio non ex justo matrimonio prodierunt, attamen ex post facto legitimi red-
diti sunt. Expectari forsan à nobis non immeritò hic possint aliqua, de definitione, divisione legitimationis, ejus forma ac requisitis, quinam, & quo modo Jus legitimi consequi valeant: Attamen non huic, sed alii loco commodius hæc subjicientur, ubi nempe de causis patriam potestatem constituentibus agendum est: Quod si verò desiderium aliquem

C 2

istius